

Jeroni Pau
HYMNVS PANEGYRICVS

Mariàngela Vilallonga (ed.), *Jeroni Pau: obres*, vol. 1, Barcelona, Curial, 1986.

XXII

HYMNVS PANEGYRICVS IN FESTO DIVI AVRELII
AVGVSTINI EPISCOPI HIPPONENSIS

Aeternas Libyci laudes, quo regius Hippo
Carthagoque uetus, quoque Aphrica terra superbit,
Pontificis memorare cheli sacra atque triumphos
Grandiaque exili praeconia promere cantu
Haud aliter mea Musa timet, quam qui procul ausus
Littore per pelagus tenui decurrere cymba
Contremit, at solo confisus numine diuum
Tollitur, ingentes superatque per aequora fluctus.
Nostra Thalia, pater, sic tantum nixa fauore,
Augustine, tuo de tot modo laudibus unam
Aggreditur, minimam quamuis, perstringere partem
Et quia tanta meae nata est fiducia menti.
Tu placidus coeptis precor auxiliieris iniquis
Atque meum forma docto modulamine carmen,
Ipse sequar: doceas Musam pariterque canamus.
Ille parens summus, rerum moderator et orbis,
Qui tibi, Paule, oculis lucem mentique profundae
Praestitit et uarias iussit transcurrere gentes,
Vt populos uera sub relligione lauacri
Ad cultum traheres uitae melioris, et imis,
Te duce, cana fides posset considerare terris,
Ille etiam cernens, pulsus melioribus annis,
Iam priscam tepuisse fidem rursusque per orbem
Antiquum colubrum late sparsisse uenena,
Scissurasque graues uno de dogmate Christi

Inuasisse animos, uariisque erroribus aegras
Prospectans hominum mentes, namque Arrius illinc
Fuderat, hinc, rictu spumante Cataphriga uirus,
Atque alia de parte cohors Manichea premebat
Innumeras gentes, damnataque secta Nouati,
Nestoriana phalanx, et prodigiosa Sabelli
Dogmata, proh Superi! domina crassantur in urbe,
Multaque praeterea doctorum monstra malorum
Deceptas animas in Tartara saeua trahebant.
Non tulit hoc Genitor, ueritus ne tempore paruo
Corriperet reliquum tristis contagio uulgus,
Ergo parat miseris medicamina mittere terris
Versantique diu posset quis tollere morbos
Letales populis, sparsasque reducere mentes
Vnius ad cultum fidei, tunc castra sequentem
Impia, depulsa sensim caligine mentis,
Te, Augustine pater, Libycis Deus euocat oris,
Scilicet obscura pulsa ut caligine mentis,
Vt quondam Paulus, sanctum tuereris ouile
Quique prius fueras fidei contemptor et hostis,
Defensor ualidus, dux et praestantior esses.
Nec casu data signa tibi, nam nouerat ipse
Omnipotens Genitor quam grandia pectora ferres
Artibus ingenuis nulloque docente magistro,
Mira loquor, totas hausisses clarus Athenas,
Quicquid enim docto manauit ab ore Cleantis
Cecropiique senis fluxit de pectore, quicquid
Colligis inuentum placido, Chrysippe, recessu,
Et quod Democritus ridens, didicitque tacendo
Pythagoras, docuitque Solon, sanxitque Lycurgus,
Quaque Orphei (Grais nisi ficta) poemata pandunt
Maeonidesque sacro modulatus carmine, quodque
Magnus Aristoteles, quicquid doctrina Platonis
Continet ampla: tuo se pectore cuncta uetustas

Cluserat, et melius per te digesta nitebat.
Adde peregrina his iam dogmata: Gymnosophistae,
Persarumque, Magi Druidae, castaeque Sybillae,
Necnon ignicolae quicquid docuere uagantes
Chaldaica de gente sati, et Memphitica tellus
Tradit, et epota docti Brachmanes ab unda;
Quaeque tulit Moses legis primordia nostrae,
Perdita quae rursus diuinitus edidit Esdras,
Diue pater, plena tu condita mente tenebas.
Nec Romana tuum latuerunt scrinia pectus:
Quod doctus scripsit Varro, quod carmine pangit
Mantua magniloquo, quae non aequata Pelasgis
Nec superata suis effundit pagina Tulli,
Et quaecumque nitent lingua uulgata Latina.
Tot igitur tantisque opibus, celebrande magister,
Imbutus Tyriae linquens Carthaginis arces
Sceptraque Gymnasii, Siculum decurris in aequor,
Et tandem Latiis felix allaberis oris.
Discessum dolere patres, dolere diserti
Discipuli, et caecis iacuit schola clausa tenebris.
Nec te Romulea tenuit mora longior urbe,
Insubris curandus eras, quos forte uocatus
Rhetor, ut egregius iuuenilia corda doceres
Haud inuite petis; illuc te fata trahebant
Iudicio librata Dei; resipiscere tandem
Vt praestans animus tanto langore ualeret,
Ergo doces iuuenes, tu praeceptore doceris
Ambrosio, fuerat quo non praeclarior alter
Languentes curare animos, uerbisque mederi
Mentibus insanis, morbosque fugare procaces
Iamque animi caluere tui, feruorque salutis
Subrepat pectus, soluitque a corde tenebras
Vis archana Dei, collectas uallibus udis
Vt solet exoriens nebulas dissoluere Titan,

Et quam sit fallax nostri sapientia mundi
Iam sentire datur, sterilesque relinquere curas
Mens agitat, totumque sacrae te tradere legis
Paulatim et doctas comitata superbia mentes
Exuitur, uitique sequax infamia pennis
Effugit obscuris, frigetque libidinis ardor,
Quaeque Cupidineis flagrabant pectora telis
Mollia, iam stabili feruent in amore tonantis;
Iam cultus molles et inanis gloria fuci
Vilescunt, pater alme, tibi; iam despicias omnes
Fortunas hominum, uentosaque nomina famae
Haud sociata Deo, quae fors infida dedisse
Et rapuisse ualet, Parcaeque tollere possint,
Non bona iam reputas, poscis sed uoce lauacrum;
Mouerat exemplo baptismum Antonius alto
Quaerere sylvarum cultor memorabilis, et tu,
Clarus in urbe prius gentili pectore rhetor
Qui fueras, nulli lingua cessare diserto,
Victorine pater, lotis adiuncte cateruis.
Hoc quoque promeruit genitrix tua, quae simul omnes
Seu pietate uelis, seu religione parentes
In Libycis potuit felix excellere terris.
Haec etenim dum thure Deum uotisque fatigat
Et supplex cunctis lachrymansque aduoluit aris,
Eualuit tandem magnum frexisse tonantem,
Nec prius accita est merita ad pallatia coeli
Quam caeca Ambrosio curatum pectora succo
Et sacris natum uideat perfundier undis.
Hanc patriam repetens Tyberina ad littora maestus
Amictis celebri uincens saecula fama,
Inde petis Libyam uentis, paruamque Tagasten
Contendis, genus unde tuum patrique penates.
Et mox communi docuisti uiuere uictu
Mortales, quali peribent uixisse priores

Christicolas legemque, pater tum diue, tulisti
Viuendi sanctam populis, qui uertice tonso
Diuinis celebrant laudes, arisque ministrant.
Iam maiora canam. Non longis cursibus actis
Pontificem uidit clarum te nobilis Hippo,
Non precibus quaesitus honos, censuue redemptum
Eximium culmen; traheris, sic fata iubebant,
Inuitus, tandemque subis, ne numinis alti
Contemptor uideare, pater. Sed iam mihi docta
Musa refer, fuerit sacri quae uita parentis
Culmine sublimi posita, et quot uicerit hostes
Immites Christi, quot barbara corda domarit
Lingua diserta uiri, uitii quot saepe triumphos
Pertulerit, quantumque hominum submouerit Orco.
Prudens simplicitas, pudor et constantia morum
Fortuna crescente manent, tenor aequus in omni
Luce uiget: non liuor iners, non pompa, nec urgens
Ambitio, et patulis uestigans faucibus aurum
Vilis auaritiae rabies pia pectora carpsit,
Nec tenebris damnauit opes, praebere sueti
Pauperibus tenues undabant saepe penates.
Non illum insanis agitauit motibus ira,
Sed placidus patiensque fuit, iustique tenorem
Flectere non odium, non gratia blanda coegit;
Negligere offensas facilis, ueniaeque paratus
Semper erat, nulli propior clementia linguae.
Oderat immensum quos morsu carpere uitam
Cerneret absentum, uerbisque lacescere famam,
Haud modicum scelus esse uiris grauibusque piandum
Aiebat poenis, precio non posse rependi.
Illum nec tenuit Veneris foriosa uoluptas
Iuncta gulae, aut claram torsit simulatio frontem,
Delitiae haud isti comites, haud perdita somno
Vita fuit: modo iura dabat, modo corde sereno

Implebat caelum precibus, modo pectora caeca
Curabat uerbis, stimulisue agitabat amaris
Torpentes animos, largo modo crimina fletu
Diluit, et primae luget commisa iuuentae,
Aut scribit doctis numerosa uolumina chartis,
Et noua iam condit modo collabentia templa
Instauratque ornatque simul pacemque tuetur.
Quae non sedicio, quae non discordia grandis
Iudicio paccata suo uerbisque quieuit?
Aut studio, aut curis uacuum quis repperit illum?
In quo sola fuit requies mutare laborem.
Quid referam Libycis pulsos de finibus hostes
Aduersos fidel, totoque ex orbe fugatos.
Te Faustus uictore cadit, te propter eundem
Fortunate petis Numidum fugitiue latebras,
Cetera turba perit scriptis coniuncta disertis,
Non tabulis, non iam chartis aconita bibuntur:
Cumque auctore cadunt libris intincta uenena.
Inde tamen nulla tanguntur pectora laude,
Errantes docuisse magis quam uincere gaudes
Tum populos etiam falsa sub imagine diuum
Deceptos Libyae pagos et rura colentes,
Ipse doces uerbis ritus spreuisse prophanos:
Non Libycis trahitur mater Berecynthia terris
Semiuirum comitata choro, nec regia Iuno
Armatos currus Byrsea condit in arce,
Saturnique insons non iam mactatur ad aras
Cadmea regione puer, nec Corniger Hammon
Femineos arcet coetus suibusque minatur,
Hesperius seruat non iam pomaria serpens,
Coguntur spreti magalia linquere Fauni,
Non amnis colitur Tryuiae, non maximus Athlas
Sustinet aetherium, fictis si creditur, axem;
Sanguine non circi, non amphitheatra redundant

Consilio purgata suo paricidia nec iam
Seminis humani fiunt nec pulcher ephebus
Crudelem metuit dextram castrantis auari:
Exulat a Libycis crimen damnabile terris.
Haec inter pia gesta pater produxerat aeuum
Et iam bis septem lustris adiunxerat annos
Septenos uitae, subito cum milite largo
Obsidet Hipponem gens immitissima Gotthi
Vandalica sociata manu, quae forte, relicta
Hesperia, Libycis sese transfuderat oris.
Ergo ne excidium patriae clademque suorum
Conspiceret, sic clara fides exorsa tonantem est:
«Summe pater, duro quantum uexata per orbem
Hoste diu fuerim puro de culmine caeli
Vidisti, externo nec tam conterrita marte
Nostra quies, gessit plus intestina pericli
In castris acies, et iam me pellere terris
Audebat, ualido ut indefensata fauore
Ductoris Libyci trepidantia signa fuissent.
Artibus hic animoque potens et fulmine uocis
Sacrilegas solus potuit conuincere turmas.
Nunc illum immanes cingunt Hunnique Getaeque
Et Zigi et Gepides et quicquid barbara saeui
Transmisit tellus. Afflictus subtrahe rebus
Hunc, Genitor, transferque polis et conde supernis
Sedibus emeritum: tum nos haec cara precamur.»
Clauserat illa sonum, Genitor sic uoce profatur:
«Cara fides menti semper placidissima nostrae,
Qua duce, mortales superum conscendere regna
Iure datum; grata est pietas, quam poscis, et altis
Fatorum ordinibus concors, intrare iubebo
Protinus has sedes, summisque accedere diuis.
Fas erit. Egregio reddet miracula terris
Vllo nec fiet tantum uaga fama per orbem

Nomine nec seris fassa extinguetur ab annis.»
Haec fatus, patrem supera ad penetralia caeli
Iam mortale nihil mortali in corde gerentem
Aduocat antiquum meritamque labore quietem
Optanti tribuit diuumque exornat honore.
Illa dies albo per te signata lapillo
Roma fuit, nigroque simul, nam plangis ademptum
In terris fidei decus insuperabile priscae.
At cum fulgenti cernis diademate frontem
Praesulis inuicti summo plaudente senatu
Ornari superum manibus, laetaris et ipsa,
Diuinoque patri fundas de marmore templa
Atque illi statuis solennia sacra quotannis,
Euoluenda die qua scandit in astra triumphans
Antistes, multos quae post seruata per annos
In nostros uenere dies, totumque per orbem,
Augustine, tuum celebrant altaria nomen
Et pendent circum uariis distincta metallis
Signa salutiferum late testantia numen.
Cernitur ante aras fuerit quae saepe repressa
Praedonis scelerata manus, quot numine prompto
Seruatae ex undis pupes, quot carceris alti
Erepti tenebris, fallacis rideat orbis
Prestigias gentis, mendax Epidaurus alumnum
Iam sileat, silet uulgi deceptor inanis
Olenes, falsae taceantque Zemolsidis artes
Erronemque suum pudeat cantare Thianem
Naturae leges et uim mutare benigno
Concessum imperio superum sibi. Respicit omnes
Afflictos, fugiuntque suo sub nomine morbi
Et pestis genus omne cadit, sacer ignis edaxque
Cancer et atra lues, neruo quoque diuite clausa
Eruitur medicum non iam risura podagra;
Quos pede, quos genibus, quos et ceruice retortos

Vidimus, extemplo rectis consistere membris
Aspectare licet, sterilemque alludere proli
Cernimus optatae, nec lunam uertere mentes.
Hic uomit horrendum diris ululatibus agmen
Demonicum, repetunt bacchantia monstra per umbras
Fumantes Phlegethon aquas et furua profundi
Regna Iouis, summaque dolent regione fugari.
Atque alius picta monstrat sub imagine foedas
Exuuias leprae gaudens, miratur et hydrops
Exanguis tumidum subito decrescere uentrem.
Sed quoniam lux alma redit celeberrima fastis,
Sacrifici uos rite, patres, lustrate per urbes
Templa, pii proceres, popularis turba sequantur
Pontifices, puerique simul matresque nurusque
Vocibus alternis sanctum celebrate parentem
Et manibus flammis, manibus gestate maniplos
Cynnameos, styracisque, Siri et redolentis amomi,
Albentem costum, myrrham, nardumque rubentem
Spargite, et Hebraeos fundat pia dextra liquores,
Et sacris date tura focus quae colligit Indus
Quaeque opulentus Arabs, et felix mittit odoro
Terra Sabaea sinu placidis cumulentur in aris.
Cimbala non absint, non dulci tybia cantu,
Non lyra, non cytharae modulatisque organa cannis,
Tympana, sambuca, uocalia cuncta resultent
Et magnis etiam resonent bombicibus aera.
Imprimisque Deo pax est oranda, sequuntur
Praeclarae comites illam concordia fortis
Iusticiae et sceptri tutrix, mentisque magistra
Religio, et populi paccatrix copia rerum.
Hanc praestare parat pastor Romanus in orbe,
Hanc quoque magnanimus princeps telluris Iberae
Marte petit, pendent cui in cetera collo
Audaci quaesita manu, cui tempora uestit

Laurus, et humentes siccat uictoria crines.
Hic docuit placido reges seruire leoni,
Et Maurum iuga ferre trucem; quo sospite, pacem
Aeternam sperare licet, si uatibus ullis
Est tribuenda fides, uictricia signa per Aphros
Transferet, et Solymas sacraria prisca tonantis
Restituet nostra sub religione foueri,
Quin etiam Turcas fatis disperdere gentes
Promissum rursusque aquilam dominarier orbi.
Sed quo me trahitis uos pacis amore sorores?
Sunt alio cantanda loco fastigia summi
Principis, ad sacros iam me conuertite ritus.
Vos quoque Phoebea redimiti tempora lauro
Pangite facundo de pectore carmina uates.
Ipse etiam quamuis puida tenuique Camoena,
Stridulus hos supplex cantus haec carmina sacris,
Antistes uenerande, tuis incondita fundo.
Tu pater ad uerum cultum et subsellia Petri
Restituis lapsos, pellisque ex orbe tenebras,
Tu Superum nectar, tu pascua laeta salutis
Aeternae praebes populis, tu luctibus Orci
Eripis innumeras gentes, cuneosque malorum
Effringis uictor, limenque ostendis Olympi,
Non tu monstra manu leuibus iactata Pelasgis
Euincis geminos angues, mactasque bimembres
Centaurus, uastum sternis nec rupe leonem;
Non tres Geryonis dextrae, non belua Lernae
Te feriente cadunt, lustras sed pectora caeca.
Impia quot mundo scelera et quot monstra maligna
Eloquio cecidere tuo? Quot regna, quot urbes
Ad uerum lumen libri uertere deserti?
Quis tam mentis inops sancta ut iam dogmata Christi
Vera neget? Quorum uideat te, Summe Sacerdos,
Asseclam tanti ingenii, quo funditur amplis

Doctrinae quodcunque manet memorabile terris
Hoc de fonte fluit quicquid Germania quidque
Famigerata doces placidos Luthesia Gallos.
Te legit Oenotrus, te Dalmata, te quoque noster
Hesperius, Rhodani pотор, diuesque Britannus
Pannoniusque auri fossor. Nouitque diserta
Graecia et Aethiopes Medique et Seres Eoi;
Nec Scytha, nec Bessus, nec Thrax, nec Sarmata tantum
Nesciuere uirum. Nouit Garamantica tellus,
Marmaridae nouere procul, Nomas atque Gelonus
Et gens si qua latet nostris contraria plantis.
Sed licet antiquae redeant qui moenia Romae
Multiplici cecinere lyra, gliscantque capillis
Serpentes, centumque fluat per pectora Phoebus
Vatibus, exhausto tumeantque Helycone furentes,
Defficient cantu laudes aequare superbas.
Salue igitur, uenerande Pater, sanctissime diuum,
Qui superas habitas sedes, quas nulla fatigat
Esuries, nullusque labor, non uexat egestas,
Non dolor, aut curae, non spes incerta remordet,
Hinc procul insidiae, morbi, discordia, luctus.
Tu res terrenas humanaque gaudia rides
Astrorumque legis cursus Phoebique meatus,
Et iam scire datur retro nitantur in ortus
Sydera cur septem, geminis an uersa ferantur
Motibus illa polo, fulgens an musica caelum
Incolat, exutas quis corpore torqueat umbras
Ignis, inexhaustis cur ardeat Ethna caminis,
Cur non anticipet pietas immensa tonantis
Errantes, miserosque sinat peccare nocentes,
Atque etiam si immota manent decreta superna
Vitae hominum rerumque simul, quid rebus agendis
Saepe repugnanti prosit contendere fato.
Tu pater a puero morum mihi censor, et idem

Tutor in aduersis ualidoque labore fuisti.
O quotiens summis per te seruata periclis
Vita fuit, quotiensque animum peiora sequentem
Dirigis in melius. Modo me iam iamque labantem

Corripis, et turpes frangit reuerentia motus.
Et sine te nullos spondent quia carbasa portus,
Haec inter pia sacra, pater, nunc uota reposco.
Numinis ille tui primis uenerator ab annis
Per uitam moresque pios sanctamque parentem
Diuinumque caput celebrataque nomine caelo,
Per lachrymas quas fundo sacris, per regna tonantis
Quo frueris, ualeam mentis sine sordibus ullis
Et ualido iuuenis cum corpore ducere uitam
Atque senex, si fata mihi non parca dabuntur
Cumque suprema dies ueniet, pater optime, dextram
Tende libens, trepidumque foue, liceatque pauendum
Iudicis immensi per te placasse tribunal,
Caelestesque habitare plagas, ubi gloria perstat
Aeterna, et nullo numerantur tempora motu.
Sic tibi millenis exsurgant templa columnis,
Augeat et meritos Superum quoque rector honores,
Caelicolaeque tuum celebrent per saecula nomen.